

93.

B. C. D.

THESES JURIDICAS  
DE  
OBLIGATIONIBUS  
PRÆSIDE

VIRO Nobilissimo, Amplissimo Consultissimo  
atque Excellentissimo

DOMINO

JOH. HENRICO  
FELTZIO

Professore JCto & Canonicō Tho-  
mano Dignissimo

Solenni Disquisitioni  
subjiciet

Ad Diem 15<sup>o</sup> Martij M DCC XVIII.

FRANCISCUS THEOBALDUS  
XAVERIUS WILLEMANN,  
Sultzensis ex inf. AIC.

ss. jur. civ.


175, 06

ARGENTORATI  
Typis Vidua JOSEPH STADELI, Acad. Typogr.

PARENTI SUO OPTIMO  
DOMINO  
FRANCISCO  
THEOBALDO  
WILLEMANN

Consiliario Regio, Lauterburgensis.  
Præfecturæ Proto Satrapæ, Illustrissimi Do-  
mini Intendentis Subdelegato &  
Civitatis Landaviensis Prä-  
tori Regio,

Primitias hasce Academicas  
*in signum*  
filialis devotionis  
&  
cessaturæ nunquam reverentia  
*Dat, dicat, dedicat*  
Filius obsequiosissimus  
FRANCISCUS THEOBALDUS XAVE-  
RIUS WILLEMANN.



# DE OBLIGATIONIBUS.

Thes. I.



**B**ligatio est juris vinculum ,  
quo vel ex nostra conscientia, vel  
ex præscripto Legislatoris adstringi-  
mur ad aliquid dandum, faciendum  
vel non faciendum.

I I.

**E**x definitione patet, causam efficientem remotam  
duplicem esse, Deum nimirum, atque hominem.

I I I.

**I**lla, quæ ex conscientia unice oritur, dicitur obli-  
gatio naturalis, quam definio esse tale vinculum, quo  
homo absque lege civili obligatur ad aliquid dandum  
vel faciendum.

A 2

IV.

IV.

Cum vero obligatio naturalis a legislatore civili  
anteverti possit, patet exinde, obligationem natura-  
lem posse formam accipere a legislatore civili, qua  
forma data, dicitur esse obligatio mixta, quæ & juris  
naturalis & juris Civilis vinculum dici potest.

V.

Obligatio ; quæ ex rigore juris civilis procedit  
sine habito respectu ad æquitatem, dicitur obligatio  
meræ civilis.

VI.

Obligatio naturalis mera jure civili non prodest  
actori, seu non producit actionem, sed prodest tamen  
reco ad se defendendum, seu producit exceptionem.

VII.

Subintellige, si sit obligatio plena, quæ est vincu-  
lum juris naturalis, quo aliquis obligatur ad præstan-  
dum id, quod honestè promissum est.

VIII.

Obligatio autem minus plena hunc effectum non  
habet, quia tantum ex honestate vel ex pudore ali-  
quem adstringit ad aliquid dandum vel faciendum.

IX.

IX.

Obligatio civilis mere talis producit quidem actionem, sed propter æquitatem obstantem non proceditur ad Extractionem.

X.

Obligatio mixta autem producit actionem & extractionem.

XI.

Exemplum obligationis plenæ naturalis erat apud Romanos: obligatio ex pacto nudo; minus plenæ: obligatio ad remunerationem; civilis proprie sic dictæ: obligatio ex metu contracta.

XII.

Mixtarum autem obligationum tot sunt exempla, quot sunt obligationes naturales a jure civili valida actione donatae.

XIII.

Causa efficiens proxima obligationis est factum obligatorium, quod duplex est vel licitum vel illicitum.

XIV.

Licium est, quod leges permittunt & est duplex vel Pollicitatio vel conventio.

A 3

Pol.

X V.

Pollicitatio est spontanea, solius offerentis promissio.

X V I.

Si privato fit, & nihil impleri coeptum est, non producit actionem, etiam hodie.

X V I I.

Si vero Deo (quo casu votum dicitur) vel reip. fit, producit actionem.

X V I I I.

Difserit Pollicitatio a Donatione, quod haec requirat acceptationem, non vero illa.

X I X.

Conventio est duorum vel plurium in idem placitum consensus animo se obligandi.

X X.

Si obligatio est reciproca, tunc dicitur bilateralis; si vero ab una parte rantum stat obligatio, dicitur unilateralis.

X X I.

Si conventio neque nomen habet neque causam, id est

est, solo consensu constat, neque rei traditione vel facti alicujus præstatione perficiatur, tunc dicitur a Romanis Pactum.

XXII.

Hoc, si non confirmabatur jure civili, præcipue, si apud Romanos libro actionum insertum non erat, dicebatur pactum nudum.

XXIII.

Si vero lex, aut Prætoris Edictum, isti pacto assiebat, atque jus validam producendi actionem annexebat, dicebatur pactum vestitum seu non nudum.

XXIV.

Hujus generis erant: pacta incontinenti contractibus adjecta, donatio, pecunia constituta.

XXV.

Pacta ex intervallo adjecta erant pacta nuda.

XXVI.

Hodie omnia pacta ex consuetudine validam producunt actionem, nisi lege aut conventione impediuntur.

XXVII.

XXVII.

Contractus est conventio per se & ex sua natura producens obligationem efficacem.

XXVIII.

Quod dicitur, *per se & sua natura*, non est intelligendum de jure naturali, sed de *natura civili*.

XXIX.

Si utrinque verus consensus adest, dicitur *verus*; si consensus adesse fingitur atque presumitur, dicitur *quasi contractus*.

XXX.

Ubi tamen annotandum; tacitum consensum differre a *presumpto*, atque per consequens tacitum consensum posse esse in vero contractu.

XXXI.

Quasi contractus sex in Institutionibus recensentur: Negotiorum gestio, tutelæ administratio, Hereditatis communio, rerum communio, Hereditatis aditio & indebiti solutio.

XXXII.

Sunt tamen adhuc plures Species, quæ in Pandectis habentur.

XXXIII.

Veri contractus sunt duplices, nominati & innominati.

XXXIV.

Innominati sunt, qui aut non habent speciale nomen, aut si habent nomen, non producunt nominatam actionem.

XXXV.

Unde duplices sunt, regulares & irregulares; regulares sunt quatuor, do ut des, do ut facias, facio ut facias, facio ut des. Irregulares sunt duo: contractus æstimatorius & Permutatio.

XXXVI.

Oritur ex his contractibus duplex actio, aut agere volo ad implementum contractus & dabitur actio præscriptis verbis, aut ad resolutionem ejusdem & dabitur condicione causa data causa non secuta.

XXXVII.

Observandum enim est, in his negotiis pœnitendi licentiam esse concessam, quod secus est in nominatis contractibus, excepto mandato & Societate.

B

XXXVIII.

---

XXXVIII.

Contractus nominati sunt, qui speciale nomen  
habent, & specialem producunt actionem.

XXXIX.

Sunt quadruplices, reales, verbales, literales &  
consensuales.

XL.

Licet enim debeant omnes ex consensu con-  
stare, attamen aliqui solo consensu, alii simul vel rei  
traditione, vel verbis solennibus, vel scriptura per-  
ficiuntur.

XLI.

Reales sunt quatuor, Mutuum, Commodatum,  
Depositum & Pignus.

XLII.

Verbalis est unicus, Stipulatio.

XLIII.

Literalis est unicus, contractus scilicet chirogra-  
pharius.

XLIV.

Consensuales sunt quinque. Emptio vendi-  
tio,

tio, Locatio conductio, Emphyteusis, Societas & Mandatum.

XLV.

Factum obligatorium illicitum dicitur delictum,  
quod duplex, verum vel quasi.

XLVI.

Verum, quod dolo, Quasi, quod culpa committitur  
contra leges.

XLVII.

Verum triplex est, Privatum, Extraordinarium  
& Publicum.

XLVIII.

Privatum, quod privata actione coercetur.

XLIX.

Extraordinarium, quod nulla speciali lege  
notatum est, interim tamen accusatione vindicatur.

L.

L

Publicum, quod speciali lege notatur, & publica ex eadem accusatione coërcetur.

LI.

Hodie omnia delicta dicuntur Publica, quæ poenam corporis afflictivam merentur.

